

Et ne æquivocatio gratis aliquando a Scribentibus fiat, subdit Pitiscus, quod Accensus est etiam nomen ordinis, & promotionis in militia, ut nunc dicitur princeps, vel commentariensis, aut cornicularius. Subdit, Accensos fuisse alios a Rorariis, quanvis utriusque leves essent, & ex eorum genere, quos Græci ~~νικητας~~ appellant. Rorarii siquidem honestiorem gradum habuerunt, quam Accensi; quandoquidem Livius prius Rorarios nominat, deinde Accensos. Postmodum ex Catone concludit, Rorarios pugnasse in acie Romana, ante reliqua signa procurrendo in hostes; non Accensos, qui ministri erant Tribunorum, si forte & Centurionum, immo etiam Consulum, & Prætorum.

Interpres ex laudato Pitisco, hoc verbo, vocatur, qui inter venditorem, & emptorem, pararius, ac proxeneta, difficultates, inter utrumque oriri solitas, ob pretium, explicat. Et quia Interpretis erat discordias inter contrahentes componere, inde factum est, quod qui diversæ linguae homines, sermonem inter se habentes, componebat, Interpres etiam dicebatur. Unde Isidorus 10. *Interpres*, quod inter partes medius sit duarum linguarum, dum transfert. Et Gravina c.l. erant ~~E~~ Interpretæ, a quibus ex alterorum sermo populorum ignoris linguarum aperiebatur.

Centum triginta Interpretæ in urbe Colchicæ, regionis Dioscuriae, inveniebantur, qui Romanis ad negociaciones peragendas cum omnium nationum peregrinis, inserviebant. Hinc Plinius 6. 5. urbe adeo clara, ut Thimosthenes in eam 300. nationes dissimiles linguis descendere prodiderit. Et postea a nostris 130. Interpretibus negotia ibi gesta.

Interpretæ etiam Legatorum verba, qui diversa lingua utebantur, ad Senatum, vel Imperatorem, pa-